tionem defeciſſe, verificata conditione, pro-
ut fuit verificata natiuitate filiorum, in quib.
74 & in fœminis ab eis deſcendentib debet con-
tinuari maioria, excluſis filiis, & filiabus ſe-
cundi matrimonii, maximè cũ excluſio fœ-
minarum in dicta clauſula non ſit perpetua,
ſed temporalis. ibi. *Varones, y no mugeres, faſta
que no aya perſona alguna deſcendiente por linea
recta del hijo mayor*. Et illud verbum, *faſta*, eſt
limitatiuum ad tempus. *l.3 tit.15.p.2.* ibi. *faſta
que el Rey ſea deedad*, & ibi, *faſta que ſea caſado*,
& tradit Azeued. *in l.8. tit.1. numer.48. col.3. lib.
5. Recopilat* Et ob hanc cauſam ſucceſſit in di-
cto maioratu Domina Anna de Silua ſoror
dicti Comitis cæci, per cuius mortem hodie
prætenditur dicta maioria. & licet ex dicta
clauſula non fuiſſet admittenda, illud tangit
proprietatem bonorum, non verò poſſeſſio-
nem, de qua nunc agitur *cap. conſultationibus
19. de iure patronatus*. Decius *conſilio 126. nu. 2.*
Bota *conſilio.3. numero 3* Rolandus *conſilio 47.
numero 26. volumin.* 1. Hieronymus Gonçalez
ad regul.8. Chancel. gloſſ.45. § 2. numero 14. & ſic
hodie vltimus ſtatus inſpiciendus eſt, vt ego
reſolui in *lib.3. commun. quæſt.767. num.8*. Vnde
cũ adhuc ſint plures perſonæ maſculi & fœ-
minæ, deſcendentes ex filio maiori, illi ſunt
ſucceſſuri ſeruata gradus, & maioritatis præ-
rogatiua & non deſcendentes ex filio ſecun-
do maximè cum nullus maſculus hodie exi-
ſtat per lineam rectam maſculorum, habilis
ad ſuccedendum, quia D. Illephonſus Pache-
co qui poterat ſuccedere tanquam maſculus
deſcendens ex filio ſecundo, ſi ſacris initia-
tus non eſſet eſt excluſus ex *clauſula 53. & 54.
ipſius maioratus*, & ſic tota iuſtitiæ cauſa con-
ſiſtit inter Ducem de Paſtrana, per repræſen-
tationem ſui parentis, & Comitem de Sali-
nas ex ſua propria perſona, cuius iuſtitiam ad
longum defendimus *lib.3. communium, in qu.
7 2. à num.114* & vltra ibi dicta pro dicto Co-
mite de Salinas, ad excludendam repræſenta-
75 tionem Ducis de Paſtrana, facit. Quia nemo
plus iuris in alium transferre poteſt, quam i-
pſe habet, quia lex eſt pædagoga naturæ. *l.
nam adoptio. ff. de adoptionibus*. Et ſic imitatur
iura naturalia ſucceſſionis. Ita Angelus *conſi.
90 num.5. in fine. vbi numero 6.* dicit, quòd in-
76 habilitas medii impedit extrema coniungi. *l.
tria prædia. ff. de ſeruitutib* & ſic dixit Oldral-
dus *conſilio 224 numero 15*. quòd ſi fuerit inhà-
bilis filius nepos ex eo à ſucceſſione repelle-
77 tur. ibi. *Sicut ergo vbi eſt inhabilis filius ex eo
nepos à ſucceſſione repellitur, ita & cum primoge-
nitus tempore mortis eius, de cuius hæreditate a-
gitur, non eſt in rerum natura, nepos ex eo exclu-
78 ditur à ſucceſſione*. Vnde Baldus *conſilio 132. vo-
mine 2. circa medium*, dicit, impoſſibile eſſe
quod aliquis transmittat hæreditatem ali-
79 quo modo non delatam, quia præpoſterum
eſſet prius transmittere, quàm habere, quia
80 non entis, nullæ ſunt qualitates. *lege eius qui
in Prouincia. ff. ſi certum petatur*. Decianus *con-
ſil.6. num.81. volum.1*. Tobias Nonius *conſil.27.* 81
num.12. quia ius quod non fuit quæſitum, &
radicatum, non poteſt cedi. *gl. in l 1. § cum præ-
dium. verb. domini. de pignoribus*, quia ſubſtan-
tiale fundamentum transmiſſionis, ſeu re-
præſentationis eſt, vt ius quod eſt transmit-
tendum, ſit prius delatum. *l. ventre.* vbi Bart. 82
ff. de acquirend. hæred. Bald. *in l. quidam elogio,
num.23 C. de iure deliberandi*. Beroius *conſi.107.
nu 13. vol.2*. quia fruſtra tractatur de transmiſ-
ſione illius, qui non fuit demonſtratus, nec 83
cognitus, Craueta *conſilio 306*. Curtius *conſilio
96. numero 5.* & ſic cum Dominus Rodericus
pater Ducis de Paſtrana, in ſua vita non ha-
buiſſet ius quæſitum, nec radicatum ſucce-
dendi, quia alii plures maſculi, & fœminæ,
tempore ſuæ mortis, occupabant immedia-
tam, & proximam maioratus ſucceſſionem,
Sequitur quod eius filius, repræſentãdo eius
perſonam, nullum ius acquirit, niſi vanam
ſpem; quam ipſe pater dum vixit, ex tempore
ſuæ mortis, habebat exiſtentibus aliis, qui
tempore mortis, proximam, & immediatam
ſucceſſionem retinebant, & ob hanc cauſam
dixit Baldus *conſilio 389. volumine 2.* quod ne- 84
pos ſemper aſſumit naturam ex illius fonte,
& ex illa radice, a qua procedit, quia origina-
lis cauſa, & formalis ſemper inſpicienda eſt,
quoniam omne quod deducitur per medium 85
habet naturam illius medii, à quo procedit,
cum ab eo ſpecificetur & naturalizetur, quã
doctrinam confirmat Molina. *lib.3 de Hiſpa-
norum primogeniis. cap 7. numero.2.* vbi dicit, 86
quod nunquam admittimus repræſentatio-
nem primogenituræ parentis in filium cuius
pater aliquo tempore ius primogenituræ nõ
habuit, quem ſequitur Menochius *lib.4. præ-
ſumptio 95. numero 7. verſiculo, declaratur in ca-
ſu ſimili*. Mandelus *conſil. 60. numero 11. volum.*
1. Menochius *conſilio 442. num 3. volu.3.* Hon-
dedei *70. num.38. volum. 2.* Surdus *conſilio 403.
nu.57. vsque ad 61. volumine 3.* vnde clarè con- 87
ſequitur, quod ius non quæſitum, nec radi-
catum nunquã repræſentatur, nec transmit-
titur, quod non negat dicta lex *40. Tauri*, imò
ex verbis illis deducitur iſte ſenſus: cum ſup- 88
ponat terminos habiles ad ſuccedendum, &
ſi in omni caſu admittetur repræſentatio, nõ
diceret lex, *aunque ſus padres no ayan ſuccedido
en los dichos mayorazgos.* & ibi. *aunque muera
el hijo mayor en vida del tenedor del mayorazgo.*
Quæ mors debet illi contingere iure iã quæ-
ſito, & radicato, vt repræſentatio locum ha-
beat, vt aduertit Molina *ſupra d. lib 3. cap.6. n.
36. & ſic deficiente lege 40. Tauri*, fauore nepo-
tis contra patruum nullo alio iure poteſt ad-
mitti dictus Dux de Paſtrana, cum ſit remo-
tior, & minor, vt tradit Aneus Robertus *libr.
3. rerum iudicatarum. cap.15. in fine.* vbi tenet,
quod repræſentatio eſt contra iuris cõmunis
regulas, & ſic non habet locum, niſi vbi lex
expreſsè

SLUB Wir führen Wiſſen. http://digital.slub-dresden.de/id403484421/244 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG